



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XL. Vtrum perfectiones, aliaque prædicata Diuina multiplicentur iuxta
multiplicitatem personarum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

absolutum ipsius entis secundum se; atque hæc vnitas est communis rebus materialibus, & immaterialibus, compositis, & simplicibus, sicut est communis ipsa ratio entis. Secundò vnum usurpatur vt proprietates rei materialis inducentis multipliciter indiuidualem per diuisionem sui, & per adiunctam collectionem accidentium indiuidualium. Hæc posterior vnitas est principium numeri, qui est species quantitatis discreta, ideoque repugnat Deo, simul cum numero fundato in ipsa. Quia repugnat Deo quantitas, & consequenter diuisio, & numerabilitas fundata in quantitate, & constituentes determinatam speciem quantitatis. At prior vnitas nullam in suo conceptu includit imperfectionem, ideoque conuenit Deo, & secundum absoluta, & secundum relatiua. Quia verò, quoad absoluta, non datur nisi vna vnitas, non datur in Deo numerus realis, quoad absoluta. Ratione contraria datur numerus in eadem, quoad relatiua, fundatus in vnitate transcendentali, & conuertibili cum ente. Quia dantur plures eiusmodi vnitates reales quoad relatiua, & consequenter datur numerus quoad eadem fundatus in eadem vnitate. Quia numerus est indistinctus à pluralitate vnitarum, estque eiusdem generis, cuius sunt ipsæ vnitates. Cum igitur vnaquæque persona sit verè, ac propriè vna vnitate transcendentali, quatenus ita est indiuisa in se, vt simul sit diuisa à reliquis duabus, includens in se negationem identitatis cum illis, id est, diuisionem ab iisdem, coniunctam cum indiuisione sui in se, suntque simul plures realiter personæ, id est, plures vnitates; patet dari in Deo numerum realem Personarum; nempe Ternarium. Qua de causa Deus verè & propriè dicitur Trinitas.

Art. 3. Notandum hic est cum Valentia, Arnbald, & aliis, non posse Deum similiter dici Triplicitatem, aut Triplicem. Quia Triplicitas, vltra numerum ternarium, affirmabilem propriè de Personis Diuinis sensu explicato, superaddit proportionem excessus in eo, quod dicitur triplex, super illud, respectu cuius dicitur triplex; excessus verò non solum quoad numerum, sed etiam quoad magnitudinem, & quoad conceptum realiter adæquatum rei significatæ. Huiusmodi autem excessus non habet locum in Deo, nec conuenit tribus Personis simul sumptis, respectu cuiusque personæ seorsim sumptæ, vt infra dicitur semel, atque iterum. Hinc Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei, declarat: *Hæc est Sanctæ Trinitatis relatiua narratio, quæ non triplex, sed Trinitas dici debet.* Idem traditur fusiùs ab August. 1. 6. de Trinit. c. 8. Licet nihilominus esse, ac tolerandum vsum duplicis, triplicis, duplicitatis, & triplicitatis, adiunctis particulis, expresse referentibus, ac restringentibus ad notionalia, pluribus SS. PP. exemplis commonstrat Mont. d. 38. de Trinit. sect. 4.



QVÆSTIO XL.

Vtrum perfectiones, aliaque Prædicata Diuina, multiplicentur iuxta multipliciter Personarum?



IDENTITAS multiplicari præsertim Perfectiones. 1. Quia relationes, & Personalitates Diuinæ, ex se præcisè, & prout distinctæ virtualiter ab essentia, sunt prædicata simpliciter, & absolute necessaria; necessariò proinde volita à Deo,

minimeque contemptibilia ab eodem, distincta ab omni ente creato, id est, ab omni finito, ac limitato; & capacia identitatis realis cum Deo; ac demum talia, quibus sublati, nec Deus esset Deus, nec esset infinite perfectus, neque completè beatus; & cum quibus, tanquam cum tribus peculiaribus pulchritudinis infinite accessibus, & quasi partibus, reuelatur per fidem, quoddam, vltra captum rationis naturalis, summè & infinite pulchrum, quod est Deus Trinus, & Vnus, non minus amabilis, ac adorabilis, quàm Trinus est, quàm quæ est Vnus. Hæc autem omnia & singula includunt in suo conceptu formali rationem bonitatis, & perfectionis peculiaris, vt per se patet. Ea verò omnia attribunt frequenter Personalitatibus Diuinis Sancti Patres, efferentes simul pluraliter perfectionem circa ipsas, apud Fasol. q. 28. art. 2. dubit. 5. à nu. 129. Dubitari igitur minime potest, quin Personæ Diuinæ, quatenus præscindunt ab essentia Diuina, præditæ sint perfectione peculiari, eamque multiplicent pro multiplicitate Personarum.

2. Personalitatibus, & relationibus Diuinis, vt præcisè à natura Diuina, conuenit formaliter ratione sui esse verè & propriè tales, atque esse oppositas nihilo, & repugnantia sui. Alias non essent in Deo tres realitates, sed solum tria quadam prædicata distincta per rationem concipientem ad modum relatiuorum, quæ non sunt in se intrinsecè relatiua. Quæ est hæresis olim tradita à Gilberto Porretano, & reprobata ab omnibus Catholicis. De qua re videri potest Montoya disp. 26. de Trinit. Nequit autem multiplicari esse, seu ratio entitatis realis, quin simul multiplicentur prædicata transcendentalia veri, & boni. Quæ videlicet sunt conuertibilia formaliter cum ente, & cum realitate positiua. Ergo dantur in Deo tres similiter veritates, & tres bonitates reales; id est, totidem perfectiones reales.

3. Humanitati assumptæ à Verbo Diuino, sola vnita est Personalitas, & non natura, vt statuitur quæst. 21. de Incarnat. & nihilominus eadem Humanitas sanctificata est, & ineffabiliter perfecta per eam vnionem, vt habetur ibid. quæst. 24. Ergo communicatio personalitatis secundum se formaliter, est communicatio perfectionis; Atque ideo inest perfectio aliqua peculiaris personalitatibus Diuinis secundum se.

4. Conceptus Personæ ex sua ratione est absolutus, minimeque relatiuus. Quia est conceptus subsistentis in se, & per se; in quo conceptu nulla exprimitur, aut continetur relatio ad aliquid aliud. Ergo sicut nihilominus multiplicatur in Deo realiter Personalitas, propter identitatem cum relatione; ita cætera quoque absoluta multiplicentur in Deo realiter, propter eandem identitatem cum relationibus.

Art. 1. Resp. In Diuinis omnia esse idem, vbi non obuiat relationis oppositio. Est dignitas Theologica, munita auctoritate Concilij Toletani 11. & Florentini, atque vnanimi consensu SS. PP. apud Montoyam disp. 9. de Trinit. sect. 2. & 5. & disp. 68. sect. 4. Toletanum in Confessione fidei c. 1. In relatione Personarum, ait, numerus cernitur. Et paulò post: Hoc solum numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. In Florentino sess. 18. §. Dixit; Equidem, sola relatio, ait Ioannes Theologus approbante tacitè Concilio, apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, diuina processione Personas multiplicat: ita vt non alia ratione, quàm vi relationis, vna Persona ab alia differat. Itaque nullum ex iis prædicatis multiplicatur in Deo, penes quæ nulla obuiat relationis oppositio. Nulla autem obuiat relationis oppositio penes ullam perfectionem. Quia nulla est talis

talis oppositio penes Diuinitatem, quæ per se ipsam est conceptus, & cumulus omnis perfectionis in omni genere, vt patet ex q. 14. & ex demonstrationibus datis quæst. 2. Nulla igitur est multiplicitas & distinctio realis perfectionum in Deo, sed omnis perfectio, & bonitas per se æstimabilis, est communis omnibus Personis, sicut & communis Diuinitas. Ergo Personalitates Diuinae distinguuntur virtualiter intrinsecè ab omni eiusmodi perfectione, sicut distinguuntur à Diuinitate, & ab omni alio prædicato absoluto, & communi. Cuilibet namque communi conuenit prædicatum contradictorium eius, quod conuenit Personalitatibus, & relationibus secundum se, vt potè non communibus. Ex qua ratione apparet, implicare in terminis doctrinam eorum, qui ex vna parte affirmant, Personalitatibus, vt distinctis virtualiter ab essentia, conuenire perfectionem peculiarem, & simul ex alia parte dicunt, vnam eandemque esse perfectionem Personarum Diuinarum, nec multiplicari pro multiplicitate ipsarum: Quam assertionum mutuum repugnantiam meritò pluribus insequitur Suar. lib. 3. de Trinit. c. 9. n. 7.

Art. 2. Hæc eadem vnitas, & indiuisio perfectionis Personarum Diuinarum confirmari vterius potest ex Augustino lib. 1. de doctr. Christ. c. 5. vbi concedit in Deo tres res, & vnam, & tamen immediate subiungit negationem triplicis similiter perfectionis, dicens: *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas*; id est, idem cumulus omnium perfectionum. Illustrat istam Augustini sententiam comparatione Essentiæ D. Thomas quæst. 42. art. 4. ad 2. *Sicut igitur, ait, eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio.* Et q. 2. de potentia art. 4. ad 14. *Sicut Paternitas in Patre, ait, & Filiatio in Filio sunt vna essentia; Ita & sunt vna dignitas, & vna Bonitas.* Non igitur eo modo sunt in Deo tres perfectiones pertinentes ad conceptum Maiestatis, id est, per se æstimabiles, sicut sunt tres res; sed est vna tantummodò eiusmodi Perfectio communis, sicut est vna Essentia, & vna natura. Adde, sicut est vna virtus spiratua, & vna spiratio in Patre, & Filio distincta virtualiter intrinsecè ab utroque, & vtrique communis, non alia profectò de causa, nisi quia, quoad spirandum, nullam habent oppositionem inter se; sicut nulla Persona habet vllam oppositionem cum alia, quoad infinitatem perfectionis in omni genere, nempe quoad Diuinitatem, quæ se ipsa formaliter est infinita perfectio, & cumulus omnis puræ perfectionis in omni genere, includens in se omnem perfectionem expertem imperfectionis, eodem prorsus modo, quo excludit à se omnem imperfectionem, seu defectum perfectionis, vt liquet ex illa quæst. 14. ac proinde includens in se non tantum æquiualem, vt quidam respondent, sed etiam formaliter omnem, & quamlibet eiusmodi perfectionem, quandoquidem excludit à se per se ipsam formaliter omnem imperfectionem & defectum:

Art. 3. Accedit, neque Aseitatem, neque Omnipotentiam, neque æternitatem, aut immensitatem, neque libertatem, aut dominationem, neque sapientiam, aut sanctitatem, aut aliquam aliam eiusmodi perfectionem dignam Deo; & manifestè pertinentem ad conceptum maiestatis Diuinæ, multiplicari in Personis, vt patet inter alia, ex Symbolo Athanasij: *Et tamen non Tres æterni, sed vnus æternus: sicut non Tres increati, &c.* Quamnam autem, rogo, magna, infinita, & digna Deo perfectio esse potest, vt cuius formaliter nihil fieri potest, nihil intelligi, nihil discerni, & quæ ratione sui nullibi, & nusquam esse potest, & quæ ratione sui, nec hoc quidem ha-

bere possit, vt sit increata, id est, differens ab ente creato, & sic de similibus omnis generis perfectionibus nominabilibus de Deo, & in Deo. Oporteret itaque nominare perfectionem aliquam peculiarem reperiendam in Personis, & non præintellectam formaliter, vt communem in Diuinitate, seu essentia Diuina secundum se: Nempe Perfectio est conceptus quasi reflexus supponens conceptum alium obiectum, & prædicatum, per quod tali quodam determinato modo melioretur, & reddatur per se æstimabilis res, cui inest. Asserta perfectione, & non assignato aliquo eiusmodi prædicato, nihil fit, nihilque dicitur reipsa. Conceptum autem, & prædicatum eiusmodi, nullum vnquam designare, & nominare potuerit Falsolus, Montoya, & alij contraria sententia Auctores apud ipsos, vt apparebit clariùs ex solutione argumentorum. Omnis igitur vera, & per se æstimabilis perfectio, quæ datur in personis diuinis, est ab eis virtualiter intrinsecè distincta, vt potè iisdem omnibus indiuisum communis, sicut est communis Diuinitas.

Art. 4. Iam verò, quidquid est commune Tribus Personis, vt est omne prædicatum, penes quod nulla est processionis, seu originis oppositio inter Personas, pertinet ad naturam, & continetur in conceptu ipsius, vt natura est; adæquatè sumpto; & distinguitur à Personis, seu potius Personalitatibus virtualiter intrinsecè. Ad conceptum verò personalitatum, prout distinctarum virtualiter intrinsecè à natura, pertinent, quæcunque sunt inuicem incommunicabilia, & penes quæ reperitur in Deo eadem processionis, seu originis oppositio. Quia in Concilio Florentino, sess. 18. §. *Diuina substantia*, supponitur, ex vnanimi consensu Græcorum, & Latinorum, *Substantiam* (id est, naturam) à Personis differre, vt *communicabile ab incommunicabili*, & vt commune differt à proprio. Et Iustinianus Imperator in edicto fidei ad medium, statuit, *Omnes Sanctos Patres consonanter nos docere, naturam quidem, vel substantiam, vel formam, hoc, quod est commune, significare. Substantiam autem, siue Personam, hoc, quod est speciale.* Hinc vnanimi consensu recipiuntur à Theologis omnibus definitiones naturæ, & Personæ, quas tradit Boëtius lib. de duab. Nat. sub init. *Natura est, vnamquamque rem informans specifica* (id est communis pluribus) *differencia. Persona est rationalis natura indiuidua* (id est, incommunicabilis pluribus) *substantia.* Spectant igitur ad naturam, quæcunque sunt communia Tribus Personis Diuinis, ad Personalitates verò, quæcunque sunt incommunicabilia, & discretiua vniuscuiusque Personæ à reliquis duabus, vel duarum ab vna. Cum ergo quæcunque ex suo conceptu important formaliter perfectionem aliquam per se æstimabilem, sint communia Tribus Personis, patet, ea omnia ad naturam, seu essentiam, & Diuinitatem pertinere; atque distingui virtualiter intrinsecè à Personalitatibus, nec multiplicari pro multiplicitate ipsarum. Ex quibus denique omnibus patet vterius, quod in quæstione præcedenti dilatum fuit in præsentem, nempe Processionem, seu originem, relationem, proprietatem, & notionem, seu notiones, ita esse sufficientes ex se ad pluralitatem realem prædicatorum in Deo, & ad realem distinctionem trium Personarum, vt eadem, ad easdem sint omnino necessaria.

Ad 1. Tota perfectio propria illorum prædicatorum, quæ recensentur in obiectione, tanquam propria Personarum, atque indistincta virtualiter intrinsecè ab eisdem, præintelligitur formaliter in essentia Diuina. Quia Diuinitas per se ipsam formaliter est necessitas quasi actiua, vt ostenditur in quæst. seq. vt dentur tres Personalitates realiter identificate cum ipsa, adeoque distinctæ ab omni ente creato, & creabili.

creabili, & expertes omnis imperfectionis, & consequenter amabiles necessario, ac infinite. Eadem essentia est eodem modo exigentia suae identitatis mutuae cum iisdem Personis, & repugnantia non existentiae ipsarum, & quasi forma totius pulchritudinis, quae inest eisdem, & quam cum iisdem eadem essentia constituit. Conceditur itaque, Deum, quia Trinum, esse diligibilem, & adorabilem, non minus, quam quia unus est, sed negatur esse diligibilem, & adorabilem ex triplici motivo. Sunt enim Tres diligibiles, & adorabiles, seu sunt tres termini summae dilectionis, & adorationis; non tamen sunt Tria diligendi, & adorandi motiva: sed unicum, & adaequatum motivum est Divinitas, qua movent omnes Tres Personae simul, & unaquaelibet seorsim; sicut ratione eiusdem Divinitatis omnes Tres Personae, & unaquaeque sunt Deus. Inde nimirum habent, & eo modo habent omne bonum, unde & quomodo habent, ut sint Deus, quod est maxime omnium, & quantum fieri potest, profundè considerandum. Nihil namque notius est in natura, nihilque Gentilibus pariter, ac Catholicis magis pervium, magisque indubitatum, quam Deo, quia Deus est, convenire formaliter, & non tantum virtualiter, ac æquivalenter, omnem puram perfectionem per se æstimabilem, in quolibet genere, atque adeo omnem eiusmodi æstimationis titulum, omnemque rationem dignitatis, & maiestatis, atque omne meritum cultus, & amoris, esse indistincta omnibus modis obiectivè à Divinitate, & consequenter distincta ab iis omnibus, quae distinguuntur à Divinitate, eodem modo, quo ipsa distinguuntur à Divinitate: ac demum, quod inde manifestè sequitur, esse distincta virtualiter intrinsecè à Personalitatibus, utpotè, distinctis virtualiter intrinsecè à divinitate. Circa locutiones Patrum in plurali, & singulari, dum loquuntur de Bonitate, & Perfectione Dei, patebit ex dicendis ad 4.

Ad 2. Non est quaestio inter Theologos de realitate, veritate, & bonitate transcendentali Personarum communi prædicatis creatis, & increatis; parvis, & magnis; bonis, & malis; quam totam convincit obiectio. Sed quaestio est de sola bonitate, & perfectione per se æstimabili; id est, non solum terminativa, sed etiam motiva amoris, & appreciationis per se, & ratione sui formaliter, quam ne attingit quidem obiectio. Conceditur itaque, convenire Personalitatibus, ut distinctis virtualiter ab Essentia, oppositionem sui cum nihilo, & chymera, terminabilem cognitionis verè affirmantis ipsas de se ipsis, & veri amoris, & appreciationis, volentis eisdem omne, & summum bonum, eademque præferentis omni bonitati finitæ, ac limitatæ. Negatur tamen Personalitatibus eodem modo consideratis, atque præcisè à Divinitate, convenire magnitudinem aliquam entitativam, aut vim aliquam motivam intellectus, aut voluntatis. Hoc enim secundum non est prædicatum transcendente, & convertibile cum ente, seu cum realitate qualicumque, ut sic, & in communi, sed solum primum; quod non facit ad propositum.

Ad 3. Sicut Personalitas Verbi Divini est communicatio passiva realiter, & virtualiter immediata Divinitatis respectu sui: ita etiam est communicatio passiva virtualiter mediata, & realiter immediata eiusdem respectu humanitatis assumptæ; & hac præcisè de causa eam sanctificat, & perficit, sicut Deificat, & fundat communicationem idiomatum: quæ duo, certum est convenire humanitati, non ratione Personalitatis secundum se formaliter, sed ratione Divinitatis communicatæ, modo dicto, eidem Humanitati per eandem unionem. Eodem autem modo,

eademque ratione, qua convenit Humanitati Deificatio, & communicatio Idiomatum per Unionem Hypostaticam, convenit etiam, quod perficiatur, & sanctificetur, ut liquet ex quaestione indicata in obiectione.

Art. 1. Ad 4. Persona, ex sua ratione communis, & generica, non includit in suo conceptu, nec excludit relationem; sed ab ea præcindit; Inciuit verò ex ratione particulari Personae Divinae: sicut nec includit, nec excludit in communi simplicitatem oppositam compositioni ex supposito, & natura: includit verò in particulari Persona Divina. Ratio est, quia incommunicabilitas, quæ est de conceptu Personalitatis, ut dictum est, provenire potest in aliis, & provenit in omnibus suppositis creatis ex sola limitatione entitatis, cui non est locus in Deo, utpotè infinito, ac illimitato reipsa, quoad omnia, & singula quæ sunt in ipso. Unde sola relationis oppositione reddi potest incommunicabile unum prædicatum Divinum respectu alterius prædicati Divini. Sola itaque eadem relatione constitui potest Deus, in ratione Personae, respectu apprehendentis ipsum per fidem, & visionem, quibus solis cognoscuntur in Deo plura prædicata realiter distincta inter se, & indistincta ab aliis prædicatis Divinis, ideoque communicabilis, & incommunicabilis comparatione diversa.

Art. 2. Verum quia ratione naturali non innoscit Deus, aut aliquid Divinum, ut distinctum, præterquam à rebus creatis, à quibus omnibus distinguitur ratione limitationis earum, & eisdem est incommunicabilis Deus, per sua prædicata absoluta; propter hæc ratione naturali sufficienter apprehenditur Deus in ratione personae conceptu formali penitus absoluto. Neque verò contradicit fides huic concipiendi modo. Quia relationes Divinae ad intra, quæ innoscunt per ipsam, possunt eadem permittente concipi præcisè secundum conceptum *In*. Quia præcindentium nullum est mendacium, nullaque falsitas, sed sola imperfectio cognitionis minus adaequata suo obiecto, quam quæ non est, aut non vsque adeo est præcisiva. Secundum autem conceptum *In*, nullam dicunt inter se oppositionem relationis Personalitates Divinae, sed solum immanentiam in Divinitate, constituendo ipsam in ratione sufficientis adæquatè, ut sit in se, & per se præcisè, necnon in ratione ultimo completæ realiter per se ipsam præcisè. Unde patet dari in Deo subsistentiam absolutam distinctam extrinsecè tantum, ratione nostra, à subsistentia relativa. Ista distinctio rationis naturalis apprehendentis Deum cum præcisione explicata, & fidei, atque visionis beatæ apprehendentis eundem absque tali præcisione, componitur, nisi fallor, legitime controuersia de subsistentia, tum absoluta, tum relativa Dei, quæ est longa apud alios nonnullos, & valde implicata, ob defectum distinctionis notatæ inter præcisionem rationis naturalis, & non præcisionem fidei, atque visionis immediatæ Dei.

Art. 3. Caterum reipsa, & secundum conceptum obiectivum adæquatum, subsistentia, suppositum, Personalitas, & Hypostasis divina, (quæ sunt idem formaliter ex usu communi, post abolitam veterum controuersiam de significatione hypostasis, ut observant Valquez, & alij) includunt in se relationem, & oppositionem relationis, propter rationem datam incommunicabilitatis ad intra, sola relatione transcendentali, seu origine ac Processione, proprietate, & notione, seu notionibus, iuxta dicta superius. Quæ de causa hæc nomina, & quæcumque alia significant in recto eandem relationem, dicuntur in Deo pluraliter per se, utpotè exprimentia primo loco rationem multi

multiplicitatis: Dicuntur etiam pluraliter per se praedicata absoluta, quatenus significata adiectiue, vt Tres Personae Diuinae, Tres Personae aeternae, &c. Quia nomen adiectiuum significat suum obiectum ad modum adiacentis alteri, tanquam recto, ac proinde significat illud oblique, & in secundo loco. At eadem praedicata absoluta in abstracto, vel etiam in concreto, sed significata substantiue, non dicuntur pluraliter per se, sed tantum singulariter, vt vna Deitas, vna omnipotentia, vna aeternitas, &c. Vnus Deus, vnus omnipotens, vnus aeternus, &c. Eadem ratione relatiuum commune duabus Personis, quale est principium spirationis, significatum in abstracto, vel etiam in concreto, sed substantiue, dicitur singulariter, pluraliter vero significatum in concreto, & adiectiue, vt vnus spirator, vnum Principium Spiritus sancti, vna virtus spiratiua, vna spiratio actiua, & duo spirantes, seu duae Personae spirantes. Istas duas regulas, circa praedicata praesertim absoluta, illustrant pluribus, & exemplis, & autoritatibus, earumque expositionibus variis, Theologi communiter cum D. Th. in praesenti quaest. 39. art. 3. Ex vtraque autem, & ex regula prius data, circa relatiua, sequitur praedicata transcendentia dici de Deo per se, & pluraliter, & singulariter; tum in abstracto, & in concreto, tum substantiue, & adiectiue; idque docetur a Theologis communiter ibidem.

Art. 4. Addidi vbiq; per se. Quia aliquando fit oppositum per accidens. Primo propter vitandum abulum haereticorum, & sensum haeticum ab illis inductum, quoad aliquas eiusmodi voces, & propositiones, quae propterea vitandae sunt, tametsi ex natura rei nullum illis inesset inconueniens. Secundo propter sanum sensum inductum familiariter a SS. PP. in oppositis quibusdam loquendi modis, ideoque receptis in scholis, iuxta mentem, & sanam eorum intentionem. Postremo, quia non semper vsurpantur voces circa hoc mysterium cum omni rigore, & proprietate, quoad modum significandi in recto, vel in obliquo, ideoque facilius eatenus veniam petuntque, dantque vicissim Catholici, de quorum recta mente ac fide dubitari moraliter non potest, tametsi locutio non sit omnino castigata, cum huiusmodi defectus facilius irrepit in isto mysterio difficilis apprehensionis, & difficilioris significationis per voces a creaturis translatae ad illud, vt iterum notatum est supra. Eiusmodi inuersio, seu inflexio legitima, ac iusta in rigore significationis accedit praecipue circa perfectiones Diuinas, etiam per se aestimabiles, quae licet non multiplicentur realiter in Deo, vt ostensum est; nihilominus dicuntur nonnunquam pluraliter sub ea ipsa voce. Primo, quia perfectio est peculiariter capax modi significandi, quasi connotatiui, quatenus est conceptus quasi reflexus, vt supra notatum est, & apprehenditur quasi adiacens alteri, illudque perficiens. Deinde, quia aliquae perfectiones absolute appropriantur specialiter singulis personis, vt infra dicitur, eaque appropriatio praebet fundamentum modo loquendi aliquantulum plurificatiuo. In creatis non est opus his praecautiombus, quia tot sunt naturae creatae reales, quot sunt Personae. In casu autem, seu miraculoso, seu imaginato, de vna Humanitate terminata a tribus suppositis, dicerentur vnus homo, & tres personae humanae; atque e conuerso in casu suppositi affecti triplici humanitate. Vtrumque ob rationem similem rationi datae circa Deum. In toto hoc negotio de locutionibus in singulari, & in plurali, vitandi praecipue sunt duo errores, Arij negantis vnitatem naturae in Patre, Filio, & Spiritu sancto, & Sebellij negantis distinctionem realem trium Personarum in Deo: & quaecunque

locutiones inclinant in alterutrum ex his extremis, sunt penitus fugiendae, vel certe redigendae in sensum legitimum, ac catholicum, adiunctis particulis illum exprimentibus clare. Quod vniuersum obseruare oportet circa omnes locutiones aliquantulum ambiguas.

Art. 5. Ex dictis in tota ista quaestione, sequitur a fortiori, terminationibus liberis Diuinis, secundum se praecise, & prout distinctis virtualiter intrinsece a praedicatis necessariis, nullam conuenire specialem perfectionem, per se aestimabilem. Quia cum caetera sint similes Personalitatibus, habent hoc praeterea peculiare, quod non sunt necessariae simpliciter, sed possunt absolute non existere, quoad denominationem, & terminationem, seu esse respectum ad extra: neque quoad istiusmodi esse, seu existentiam secundum quid, exiguntur determinate ab essentia Diuina, solumque requiruntur, vt eadem essentia determinetur ad esse, & non esse creaturarum pro libito. Quae clarius desciscunt a conceptu perfectionis per se aestimabilis, atque amabilis ratione sui.



QVÆSTIO XLI.

Vtrum prima Persona Trinitatis sit Principium, & fons totius Diuinitatis?



DETUR non esse. Quia Deitas non procedit a Patre, vt habetur ex Concilio Lateran. c. *Damnatus*, De summa Trinit. Repugnat autem, vt detur Principium, & fons non procedentis.

Art. 1. Resp. Expositis iis, quae sunt tribus Personis Diuinis communia, oportet singulas seorsim considerare, ac primo Patrem aeternum. Patri autem aeterno hoc vnum re ipsa peculiariter conuenit, vt sit Principium Filij, & Spiritus sancti, vtque ipse a nullo alio Principio procedat realiter. Vt vero duae istae notiones, ratione distinctae, exponantur legitime, praemittendum adhuc est quoddam aliud documentum omnibus Diuinis Personis commune, nempe omnia relatiua esse a Diuinitate, tanquam a Principio virtualiter intrinseco eorum. Quia imprimis Diuinitas est a se, & est indistincta virtualiter intrinsece ab Aseitate, vt liquet ex q. 2. & 4. Deinde Diuinitas, atque adeo aseitas est indistincta realiter, & distincta virtualiter intrinsece ab omnibus praedicatis relatiuis Dei, vt liquet ex quaest. 38. Denique Diuinitati, atque adeo aseitati conuenit respectu relatiuorum prioritas aliqua virtualis intrinseca; nempe prioritas in subsistendi consequentia non mutua. Quia, cum Diuinitas sit communis relatiuis omnibus, minimè communibus sibi inuicem, valet bene haec consequentia: *Hoc praedicatum est Paternitas. Ergo est Diuinitas.* Haec vero alia non valet. *Hoc praedicatum, ex. gr. Filiatio, est Diuinitas. Ergo est Paternitas.* Et sic de caeteris eiusmodi. Haec autem tria constituunt adequatè Diuinitatem in ratione principij virtualiter intrinsece talis respectu omnium relatiuorum. Quia tria dicta Praedicata Diuinitatis, coniuncta cum distinctione reali ipsius ab aliquo, constituunt eandè adequatè in ratione principij realis, proprie talis respectu illius. Ergo coniuncta cum distinctione virtuali, constituunt in ratione Principij virtualis. Confirmatur. Quia aseitas, seu esse a se, est notissimus conceptus perfectionis simpliciter simplicis. Omnis